



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Christiana Et Docta Divi Alchimi Aviti Viennensis
Archiepiscopi, & Claudij Marij Victoris Oratoris
Massilie[n]sis, poëmata, aliaq[ue] non poenitenda**

**Avitus, Alcimus Ecdicius
Marius Victor, Claudius**

Lvgdvni, 1536

Pivs Episcopvs Fratri Ivsto Episcopo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12149

PIVS EPISCOPVS FRATRI
IVSTO EPISCOPO.

Athalus epistolas martyrum portans ad nos uenit, gaudium nobis inestimabile faciens de triumpho eorum: qui dixit nobis sanctum Verum collegam nostrum uictorem de mundi principe triumphasse: Tu uero apud senatoriam urbem Viennensem eius loco a fratribus constitutus, & colobio episcoporum uestitus, uide ut ministerium quod accepisti in domino impleas. Cura autem sanctorum martyrum corpora, sicut membra Dei: quemadmodum curauerunt apostoli Stephanum. Carceres sanctorum uisita, ne aliquis tepescat in fide. Martyria sancta spiritu sancto proba: & ut perseueret in fide eis incitator insiste. Presbyteri & diaconi non ut maiorem sed ut ministrum Christi te obseruent. Plebs uniuersa sanctitate tua protegatur. fratres nostri quos per Athalum recognoscas, de tyranni seuitia iam liberati requiescunt in domino. Pastor presbyter titulum contulit, & digne in domino obiit. Reuelatum mihi esse scias collega beatissime citius me finem huius uitae facturum, unum flagitabo, in communione stare & mei ne obliuiscaris. Salutat te senatus pauper Christi apud Romam constitutus. Saluta omne collegium fratrum qui tecum sunt in domino.

CORNELIUS FRATRI LVPICINO
VIENNENSI ARCHIEPISCOPO

Salutem.

Scias frater charissime arcam dominicam uetero persecutionis acer-
rime commoueri, & edictis imperatorum Christianos ubique tormen-
tis uarijs affici. Nam in urbe Romana imperator ad hoc constitutus
est, unde neque publice neque in criptis notioribus missas agere christia-
nis licet. Exhortetur itaque charitas uestra omnes credentes in Chri-
stum ne timeant eos qui occidunt corpus, sed potius eum qui habet cor-
pus & animam potestate perdendi. Iam plures fratrum martyrio coro-
nati sunt. Ora ut perficiamus cursum nostrum nobis a domino Reuelatum.
Vale frater in domino & saluta omnes qui nos amant in Christo.